871
P3.Ymo

Mössler

Quaestionum Petronianarum speciman alterum.

Programm

womit zu

den öffentlichen Prüfungen und dem Rede-Actus

des

Gymnasiums zu Hirschberg

ehrerbietigst einladet

der Director

Professor Dr. A. Dietrich.

Ostern 1865.

Inhalt:

Quaestionum Petronianarum specimen alterum. Vom Oberlehrer I. Dr. Mößler.
Nachrichten über das Schuljahr von Ostern 1864 bis dahin 1865. Vom Director.

Hirschberg,
Druck von Wilhelm Pfund.
1865.

871
Ymo

Quaestionum Petronianarum specimen alterum.

Quam inchoavi nuper quaestionum Petronianarum specimine disputationem de poemate de bello civili, quum ne hac quidem facta scribendi potestate per valetudinem oculorum ad finem, quem volo, perducere me posse intellexissem, placuit collatam in laetiora, si dedisset deus, tempora nunc quidem dimittere et, ne omnino rei deessem, facere quod posse videbar, praesertim adiutus eximia Buecheleri diligentia, ut partem quandam poematis repetitis studiis aggressus emendatiorem, quam ante fieri potuit, exhiberem. Volo igitur priores 121 versus sic scriptos:

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terrae, qua sidus currit utrumque,
Nec satiatus erat: gravidis freta pulsa carinis
Iam peragebantur, si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus, quae fulvum mitteret aurum.
Hostis erat, fatisque in tristia bella paratis
Quaerebantur opes. Non vulgo nota placebant
Gaudia, non usu plebeio trita voluptas.
Hesperiae coccum laudabat miles in unda:
Quaesitus tellure nitor certaverat ostro.
Hinc Numidae accusant, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus sua despoliaverat arva.
Ecce aliae clades et laesae vulnera pacis.
Quaeritur in silvis circo fera, et ultimus Hammon
Afrorum excutitur, ne desit belua dente
Ad mortes pretiosa; fames premit advena classes

1001777

Tigris et aerata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.
Heu, pudet effari perituraque prodere facta:
Persarum ritu male pubescentibus annis
Subripuere viros exectaque viscera ferro
In venerem fregere; atque ut fuga nobilis aevi
Circumscripta mora properantes differat annos,
Quaerit se natura nec invenit. Omnibus ergo
Scorta placent fractique enervi corpore gressus
Et laxi crines et tot nova nomina vestis
Quaeque virum quaerunt. Ecce Afris eruta terris
Ponitur ac maculis imitatur vilibus aurum
Citrea mensa, greges servorum ostrumque renidens,
Quae sensum trahat. Hoc sterile ac male nobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit, omniaque orbis
Praemia correptis miles vagus extruit armis.
Ingeniosa gula est: Siculo scarus aequore mersus
Ad mensam vivus perducitur, atque Lucrinis
Obruta litoribus vendunt conchylia cenas.
Ut removent per damna famem! iam Phasidos unda
Orbata est avibus, mutoque in litore tantum
Solae desertis adspirant frondibus aurae.
Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad praedam strepitumque lucri suffragia vertunt.
Venalis populos, venalis curia patrum.
Est favor in pretio. Senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
Ipsaque maiestas auro corrupta iacebat.
Pellitur a populo victus Cato: tristior ille est,
Qui vicit, fascesque pudet rapuisse Catoni.
[Namque hoc dedecori est populo morumque ruina.]
Non homo pulsus erat, sed in uno victa potestas

Romanumque decus. Quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat et sine vindice praeda.
Praeterea gemino deprensam gurgite Romam
Fenoris inluvies ususque exciderat aeris.
Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus,
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.
Arma placent miseris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur. Inops audacia tuta est.
Hoc mersam caeno Romam somnoque iacentem
Quae poterant artes sana ratione movere,
Ni furor et bellum ferroque excita libido?
[Tres tulerat Fortuna duces, quos obruit omnes
Armorum strue diversa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet, Libyco iacet aequore Magnus,
Iulius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Divisit cineres. Hos gloria reddit honores.]
Est locus exciso penitus demersus hiatu
Parthenopen inter magnaeque Dicarchidos arva,
Cocyta perfusus aqua; nam spiritus, extra
Qui furit effusus, funesto spargitur aestu.
Non haec aut pomo tellus rubet, aut alit herbas
Caespite laetus ager, non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur,
Sed chaos et nigro squalentia pumice saxa
Gaudent ferali circum tumulata cupressu.
Has inter sedes Ditis pater extulit ora
Bustorum flammis et cana sparsa favilla,
Ac tali volucrem Fortunam voce lacessit:
„Rerum humanarum divinarumque potestas,
Fors, cui nulla placet nimium secura potestas,

Quae nova semper amas et mox possessa relinquis,
Ecquid Romano sentis te pondere victam,
Nec posse ulterius perituram extollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana iuventus
Et quas struxit opes male sustinet. Aspice late
Luxuriam spoliorum et censum in damna furentem.
Aedificant auro sedesque ad sidera mittunt,
Expelluntur aquae saxis, mare nascitur arvis,
Et permutata rerum statione rebellant.
En etiam mea regna petunt. Perfossa dehiscit
Molibus insanis tellus, iam montibus haustis
Claustra gemunt, et dum vanus lapis invenit usum,
Inferni manes coelum sperare fatentur.
Quare age, Fors, muta pacatum in proelia vultum
Romanosque cie ac nostris da funera regnis.
Iam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus,
Ex quo Sullanus bibit ensis, et horrida tellus
Extulit in lucem nutritas sanguine fruges."
Haec ubi dicta dedit, dextrae coniungere dextram
Conatus rupto tellurem solvit hiatu.
Tunc Fortuna levi defudit pectore voces:
„O genitor, cui Cocyti penetralia parent,
Si modo vera mihi fas est impune profari,
Vota tibi cedent; nec enim minor ira rebellat
Pectore in hoc leviorque exurit flamma medullas.
Omnia quae tribui Romanis arcibus, odi
Muneribusque meis irascor: destruet istas
Idem, qui posuit, moles deus. Est mihi cordi
Quippe gregare viros et sanguine pascere luxum.
Cerno equidem gemina iam stratos morte Philippos
Thessaliaeque rogos et funera gentis Iiberae.

tiquitus alba vel purpurea fuisse scimus, (cf. B. Afr. 56) H. N. XXII, 1 coccu[illegible] dicatum. Neque obstat, quod idem, qua aestimatione vita cultior naturae opera int[illegible] discernat, explicans, XXXVII 13. purpuram non minus quam coccum in laudatissimis rebu[illegible] numerat. Agit enim ibi non id, ut singulares quasdam res pretiis inter se ponderet, sed ut omnium rerum quae maxime in suo quaeque genere expetantur, demonstret. Itaque purpuram, quamvis minore tum pretio, quam coccum aestimatam, tamen quum inter conchas esset laudatissima, ut coccum inter grana*), in pretiosissimas referre res potuit. Sed ut Plinii hic locus parem tribuat purpurae et cocco dignitatem, sicuti Trimalchionis, hominis stultissime luxuriosi, culcitae aut conchyliata aut coccinea tomenta habentes, Petron. 38. tribuere videntur: illo certe tempore, quo primum innotuisset, coccum consentaneum est delicato luxuriae fastidio cupidissime arreptum esse gratiusque fuisse quam purpuram. Ea est autem sententia versus de quo disputamus: quaesitus tellure nitor certaverat ostro. In quo versu nitor interpretandum est ad illud Plinii XXXIII, 7: „sincero (minio) cocci nitor**) esse debet"; quaesitum autem tellure, auf dem Lande gesucht, poeta coccum dixit, ut purpurae opponeret mari natae. Similiter Plinius coccum IX, 41 in terrena vel terrestria refert, et XXXVII, 13 iis adnumerat rebus, quae e terra exeunt.

---

*) Granis, id quod nomen ipsum eum iussit, Plinius coccum et IX, 41 et XVI, 8 adnumerat. Neque dubito, quin hoc quoque loco adnumeraverit. Sed obliterata est scriptoris manus. Eius rei signum iudico, quod codex Bambergensis, cuius unius auctoritate hic locus nititur, in cocco scriptum exhibet, pro quo in grano cocco scriptum oportuit ad tria illa, quae integra manserunt, Plinianae structurae exempla in arbore citro, in frutice cinnamo, in radicibus costo. Neque ei, quod proposui, adiungere dubito laseri, ex contiguo in lasere correctum. Laser enim, quamquam in succis erat numerandum, modo non in arboris aut fruticis succis, tamen non minus quam coccum generi suo videri potuit restitutum, si in grana relatum esset. Nam quum Plinius hoc gummi XIX, 3 faba fracta adulterari solere queratur, efficitur nisi comminutum et friatum Romam non advectum esse, ita ut speciem reddens granorum in granis esse videretur. Totius igitur loci haec existit forma: „Rerum autem ipsarum maximum est pretium in mari nascentium margaritis; extra ellurem crystallis; intra adamanti, smaragdis, gemmis, murrhinis; e terra vero exeuntibus in grano co[illegible]laseri; in fronde nardo, Sericis vestibus; in arbore citro; in frutice cinnamo, casiae, amomo; [illegible]ant fruticis succo succino, opobalsamo, myrrhae, thuri; in radicibus costo." Addo, dativos, qu[illegible] Bambergensibus substitui, appositionis esse distributivae, aptos eos cum hac sua stirpe exeuntibus ex superiore illo maximum est pretium.

**) Iuvat hic Hebraeos cognosse, quam perfectam rei notitiam ipso eius nomine praeferant. Vocant enim hoc pigmentum aut nitorem, (schaní) aut vermem nitoris, (toláath schaní) quum Graeci et Romani coccum loquentes pessimos se profiteantur physicos.

Iam fragor armorum trepidantes personat aures.
Cum Libye cerno tua, Nile, gementia claustra
Actiacosque sinus et Apollinis arma timentes.
Pande, age, terrarum sitientia regna tuarum
Atque animas accerse novas. Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulacra virum traducere cumba:
Classe opus est. Tuque ingenti satiare ruina,
Pallida Tisiphone, concisaque vulnera mande:
Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis."

Adnotationes.

V. 2. De singulari hac dictione sidus utrumque exposui in quaest. Petron. p. 4.

V. 3. Gravidas poeta naves dixit, ut completas significaret militibus. Fecit enim bona externarum gentium non emi, sed vi et armis rapi. Ac milites quo arserint studio praedandi, pulsa freta declarant.

V. 5. [illegible] quendam orationi abstersurus post aurum interpunxi, ut si idem valeat quod [illegible], quod autem insequitur enuntiatum Hostis erat, es gab einen Feind, hanc efficiat sententiam: orbe terrarum in dicionem Romanorum redacto, quamquam iis quos hostiliter aggrederentur non iam esse posse videbantur, tamen erant, quum avaritia ducti Romani in omnes terras invaderent, quarum opes et copiae largam sponderent praedam.

V. 9. Proximo versu diligentius excusso, Corinthia reicienda existimavi. Quid enim? Quaesitus tellure nitor rectene aes vocabitur, quod arte fuerit compositum? quod terris ex aeribus [illegible]flatum? — Neque magis Corinthiorum ulla poterit esse consociatio cum ostro. [illegible] enim eorum pro altero substitui potuit. Quod vero ipse posui, [illegible] [illegible] adiutus, Hesperiae coccum, id vide et quam apte conveniat ad [illegible], et quantopere eo commendetur, quod cocci mentio, quum prorsus nulla [illegible] [illegible] Augusti aetatem, ex eo tempore tam multa est, ut hunc luxum inde coniicere liceat non modo tum primum Romanis ingruisse, sed etiam magis quam purpuram viguisse. Quod posterius haud obscure Plinius significat, quum imperatoriis paludamentis, quae co-

Neque Hesperiae nomen non satis aptum videtur. Plinius enim quum XVI, 8 Hispaniam huius pigmenti feracissimam fuisse significet, tum IX, 41 coccum, ait, circa Emeritam Lusitaniae in maxima laude est. Restat, ut quae reliqua sunt verba laudabat miles in unda, non teretissimi ea fili et quae ipsi nuper reprobaverimus in quaest. Petron. p. 5., in disputationem vocemus. Primum milites, i. e. Romanos, qui praedatum exissent armati, patet, quum Hesperiae coccum laudasse dicantur, nihil aliud fecisse dici, nisi ad Hispaniam cocco spoliandam profectos esse. Quod recte dici et poetae ex instituto apertum est. In unda vero quid sibi velit, subdifficilis nascitur quaestio. Sic positum enim sine attributo non modo dubitandum est, num accipi possit in hoc vulgare in mari, auf dem Meere, sed ne hac quidem interpretatione admissa commodissimam efficit sententiam. An navigantibus circumfunduntur conchylia, ita ut milites illos in mari, ubi summam haberent facultatem purpurae, fastidiosos cocco inhiasse poeta dicere et potuerit et debuerit? —

V. 11. 12. Subiectam statuo his versibus hanc sententiam: extremo et ab occidente et ab oriente, itemque ex intermediis terris voces inaudiuntur bona sua accusantium, quod direptores Romanos in se concitaverint. Etiam codicum quodam concentu accusandi verbum commendatur, quum quod plerisque in codicibus extat accusatius inde videatur repetendum, quod „i“ et „us“, correctionis ergo a suo quidque auctore ad accusat appicta, in unum deinde confusa sint.

V. 13. Aliae clades sunt, quae aliis gentibus praeter Hispanos, Numidas, Seres, Arabes inferebantur. Poeta enim, id quod obiter in tertio versu monuimus, sic instituit, ut quaecunque Romanis ad luxuriam explendam opus essent, haec omnia eos bellis illatis a barbaris auferentes faceret. Quo spectat et quod v. 6 legitur Hostis erat, de quo supra explicuimus, et quae v. 9 et 32 mentio fit militum. Rem omnem in commentatione mea p. 47 adn. 41 enarravi; huius loci est videre, quid fuerit, cur poeta omne luxuriae instrumentum, coccum, vestes vel lanam vestium, feras, omnia, ut ipse v. 32 dicit, orbis praemia per milites praedae nomine comparari faceret. — Quaerentes nuper inter hoc poema et Lucani Pharsaliam quae intercederet ratio, Petronium repperimus poema suum Pharsaliae libro primo ut exemplum oppositum voluisse, ex quo Lucanum male poetae munus functum esse intelligeretur. Qua in re non satis habuit argumentum, fidei historicae vinculis exsolutum, ad suam ipsius legem (cf. 118 §. 6) in vaticinationem quandam formasse, sed vestigia Lucani intentius persecutus omnium locorum, qui aliquam recipere correctionem aut etiam immutationem viderentur, qualibuscunque faciendis immutationibus cupidissimum

egit censorem. Itaque nactus locum de luxuria, (Phars. 1, 160 sqq.) ubi „mundo subacto praeda et hostiles rapinae luxum suasisse“ dicuntur, temperare sibi non potuit, quin ratione inversa luxuriam Romanis caussam rapinarum extitisse diceret. Patet utrumque et per se et cum altero coniunctum vere dici, sed Petronii magnopere interfuit, ut quoquo modo adversarium Lucano se exhiberet.

V. 14. auro qui exhibent codices longissime a vero absunt, propius qui a reo, proxime unus ille, in quo arco extat, tribus saltem literis de manu poetae servatis. Nam circo non dubitandum est quin vere conjecerit H. Stephanus. Hoc autem verbo recepto quae generalis emersit sententia, hanc ea, quae sequuntur, si quis primum intueatur, speciatim inflexam habere videbuntur, ita ut quae ferae, qua in terra, quem in usum circensem captae sint demonstretur. Beluam sane ambigi potest elephantum poeta an leonem dixerit; utrasque enim bestias Plinius H. N. VIII, 7. 16. auctor est inde a medio septimo urbis seculo haud ita raro in arenam missas esse, atque id nonnunquam etiam gregatim. Quarum tamen venationum quum nulla magnificentior apparatu fuisse videatur quam illa, quam Pompeius secundo consulatu in dedicatione templi Veneris Victricis edidit, (cf. Cic. off. 2, 16) hanc facile quispiam a poeta hic respici dicat; ex quo, reor, porro hoc colligatur, beluae nomine non leones, quamquam numero sexcenti fuerint, sed viginti illos elephantos significari, quippe quorum lamentabili interitu Pompeio etiam crudelitatis invidia conflata sit. (cf. Plin. H. N. VIII, 7. Cic. ad fam. VII, 1.) Sed ita rem expediri mitior elephantorum natura vetat, quae respuit illud „dente ad mortes pretiosa“, quod quum in hac orationis temperatione nihil aliud valere possit nisi maxime idoneum esse ad mortifera vulnera infligenda, potius in tigrim aut leonem et pantheram cadit. Praeterea sane quam mirum foret, si poeta unum genus ferarum in eam ludorum partem exhibuisset, qua ferae aut inter se aut cum bestiariis pugnabant. Nam de illa eum parte h. l. dicere, argumento est tigris separatim et ob id inductus, (v. 16—18) ut bibat humanum populo plaudente cruorem, quae verba ad damnationem ad bestias referenda esse, G. Hermannus*) recte vidit. Itaque epexegetica, de qua adhuc disputavimus, orationis confor-

*) In epistola, cuius mentionem in quaest. Petr. p. 5 feci. Ex ea epistola, si quae aliis etiam usui esse possent, visum est omnia huc transscribere, quae ad Petronium pertinent.

V. 17. über den Sie S. 41 sprechen, scheint mir der Dichter geschrieben zu haben:

ne desit bellua denti
Ad mortes pretiosa fames: premit etc.

matione abiecta, alteram, quam patere videmus, interpretandi viam ingressi, ferae nomine pantheras et leones, beluae elephantos designari censemus. Atque ad pantheras quidem et leones monstrandos nemo non intelligit solam circi mentionem suffecisse; constat enim

---

Denn durch dauti ad mortes würde dasselbe bezeichnet werden, was durch ut bibat humanum cruorem gesagt wird. Dagegen wird durch denti pretiosa fames die commissio ferarum inter se von der damnatio ad bestias unterschieden, und zugleich klar, warum Löwe und Tiger unterschieden und nicht zusammengenommen sind.

V. 30. kann ich hostile nicht für richtig halten, weder der Bedeutung, noch des Versmaasses wegen. Vermuthlich ist triste in der Bedeutung von elend zu lesen.

V. 47. v. quaest. Petron. p. 5.

V. 221 haben Sie sehr gut ocior ipso als das richtige gefunden, aber fatisque iubentibus acti bedarf keiner Aenderung. Denn da der Pluralis voransteht, hat er, weil sich quisque auf ihn bezieht, nichts anstössiges.

V. 230. haben Sie ganz recht, humeris für das richtige anzuerkennen: aber wenn Sie die folgenden Worte auswerfen, würden Sie den Dichter gerade eines nothwendigen und besonders charakteristischen Theiles der Beschreibung berauben. Alles ist richtig, nur der erste Satz etwas kurz ausgedrückt:

Sunt qui coniugibus moerentia pectora iungant,
Grandaevosque patres humeris: ignara iuventus
Id pro quo metuit tantum trahit.

Die unschuldigen Kinder, die von der Ursache der Flucht keinen Begriff haben, nehmen das mit, was ihnen besonders lieb ist, ein Knabe Steckenpferd und Peitsche, ein Mädchen ihre Puppe.

Auch was Sie V. 241. herauswerfen, muss ich in Schutz nehmen. Alle Tautologie fällt weg, und die Stelle erhält erst ihr rechtes Licht, sobald man nur quem fracto gurgite pontus, nicht Pontus, schreibt. Erst werden die Menschen genannt, Mithridates und die Piraten; dann die göttlichen Wesen, Iupiter und das Meer und der Bosporus. Aeschylus in den Persern V. 747.

ὅστις Ἑλλήσποντον ἱερὸν δοῦλον ὡς δεσμώμασιν
ἤλπισε σχήσειν ῥέοντα, βόσπορον ῥόον θεοῦ.

Eben so halte ich auch V. 244. für echt und gut. Die Fortuna hatte ja V. 103. ff. selbst erklärt, dass sie jetzt die Römer hasse: mithin scheint es mir sehr passend, dass nun auch sie sogar den Magnus selbst fliehen sieht. Aber in dem folgenden Verse verstehe ich vidit nicht, sondern glaube der Dichter habe geschrieben:

Ergo tanta lues divum quoque numina vicit.

Endlich kann ich nicht umhin, auch was den letzten Vers des Gedichts und die Umstellung von V. 264—270 betrifft, anderer Meinung zu sein. Wie diese Verse sich an die Rede der Zwietracht anschliessen sollen, gestehe ich nicht einsehen zu können. Vielmehr stehen sie meines Erachtens gerade an der Stelle, wo sie stehen müssen. So viel ich begreife, ist der Gang des Gedichts ganz einfach und klar dieser: Rom ist in einen Zustand versunken, aus dem nothwendig Krieg hervorgehen muss. Darum erhebt sich der Gott der Unterwelt, und ruft die Fortuna auf Krieg zu erregen. Diese, ebenfalls über die Römer empört, ist bereit. Böse Zeichen verkündigen den Krieg. Cäsar kommt über die

has bestias, inprimis pantheras, etiam in modico aedilitatis sumptu exhiberi solitas esse; elephanti vero unde cognoscerentur peculiari ac certa opus erat nota. Quae nota ne deesset, beluam poeta proposuit, cui dentes tantum facerent pretium, (cf. Plin. H. N. XXXVII, 13: „Ex iis quae spirare convenit animalibus in terra maximum (est pretium) dentibus elephantorum, in mari testudinum cortici") ut ne mortis quidem pericula ab ea venanda deterrerent. Hanc enim sententiam et ipsam sub illis verbis subici posse, non est quod pluribus exponatur.

V. 16. Poeticae ratio postulat, ut premit verbum cum tigris nomine coniungatur. Itaque comma post classes delevi. Bestias vero ipsas quis credat poetam in auratis caveis inclusas navibus Romam advehi fecisse? Restituendum est ex emendatione Brouckhusii aerata, idque eo minus dubitanter, quod uni luxus generi alterum immiscere ab instituto poetae abhorret.

V. 19—27. De his versibus quae in commentatione p. 41. adn. 31. dixi, iis haec nunc addere habeo. Quid fecerint Romani luxuria diffluentes, non quid passi sint, poeta demonstrans non fata, sed facta, quod ipsum Burmannus scriptum voluit, scripsisse existimandus est. Accedit, quod fata vix dici possunt peritura. Sed haec plana atque aperta: iis, quae inde a v. 24. sequuntur, vehementer offendor. Superiora enim recapitulationis causa breviter perstringens poeta cur circensium non meminit? — Puto, quod hoc luxus genus nullam habebat animi mollitiem. Ergo, dixerit quispiam, in hanc voluptatum

---

Alpen. Die Kunde seines Anrückens bewirkt allgemeine Flucht, und selbst Pompeius flieht. Selbst die Götter ergreift Furcht, und die sanfteren Gottheiten, Friede, Treue, Gerechtigkeit, Eintracht verbergen sich: dagegen treten aus der Unterwelt die scheusslichen Gefährten des Krieges auf. Die Erde merkt ihre Gegenwart, und der Himmel, dass er verlassen wird: denn alle Götter theilen sich. Venus wird nebst der Pallas und dem Mars die Führerin der Thaten Cäsars; dem Pompeius stehen Apollo, Diana, Mercur, Hercules bei. Die Kriegstrompete erschallt, und die Zwietracht ruft zum Kriege auf. Ihrem Befehl wird gehorcht:

Factum est in terris quidquid Discordia iussit.

Diess alles hängt so natürlich und so schön zusammen, dass durchaus daran nichts getadelt werden kann. Wollte der Dichter eine Probe geben, wie man einen solchen Stoff behandeln müsse, so bedurfte diese Probe eines Schlusses, damit sie nicht als ein willkürlich abgerissenes unvollendetes Bruchstück erschiene: und da war der letzte Vers nöthig. Wollte er das Gedicht weiter fortsetzen, so war er ebenfalls nöthig. Denn der Uebergang zu der nun folgen sollenden Erzählung der wirklichen Begebenheiten konnte gar nicht kräftiger gemacht werden, als durch diese Worte, in denen das ganze den Bürgerkrieg betreffende Epos zusammengefasst ist. Ueberall ist das einfachste immer das wahre und zugleich auch das schönste.

seriem omnino non referendum erat. Dicam quod sentio. Videtur de sex illis versibus 13—18 deliberandum, an sede, quam poeta invito nunc obtineant, moti post v. 38 collocandi sint. Cui transpositioni etiam hoc favet, quod qui undequadragesimi est versus furor campi iam nactus comparet, cum quo apte componatur, circensem quendam furorem.

V. 27—32 exhibui nunc ex dispositione Gronoviana, quam Buechelerus quoque probavit. In undetricesimo autem versu renidens moneo perperam ab interpretibus cum ostro coniungi, quum epitheton sit mensae, quae levigata ac polita imagines servorum ministrantium et stragulorum purpureorum instar speculi reddere dicitur. Sequenti versu, puto, legentes facilius careant, quam quisquam eum emendaverit. Nam non solum ex numeris laborat, sed etiam priora eius haec verba quae sensum trahat, praeterquam quod non satis plana sunt, leviter assuta orationi comparent, quasi quoddam syrma vesti adhaerens; posteriora vero certe supervacanea sunt. Sed his incommodis quam opponerem medicinam, frustra adhuc quaesivi*). Denique duoettricesimo versu quod Buechelerus essurit recepit, non video quomodo miles praedandi caussa in orbe terrarum pervagari idemque accubare in epulantium turba dici possit. Extruit tam necessarium est, ut si in nullo esset codice ex coniectura reponi deberet. Flagitat enim orationis contextus hanc sententiam: apponuntur in citreis illis mensis omne genus cupedia, undique terrarum a militibus conquisita. Neque potuerunt militibus aliae subito partes tribui atque ab initio egerunt, ut luxuriae essent ministri.

V. 34. Ne deesset, unde ingenium gulae cognosceretur, obruta scripsi pro eruta, hoc poetam dicere ratus, ostrea cum arena sua h. e. glebis ostrearіorum adhaerentia in triclinia inferri. Quod dicentem eum non insolentius locutum esse apparet, quam in proximo versu, ubi scarum aequore mersum apponi dicit. Explicui de hac posteriore locutione in commentatione p. 58 seq., quo eodem loco in adnot. 53 et vendunt v. 35. quam in sententiam accipiendum esset, docui, et quid me adduxerit, ut v. 36. removent reciperem, tum quidem ex uno cod. Tragur. enotatum, nunc vero post Buecheleri curas etiam externa auctoritate satis munitum.

---

*) Una saltem ex parte ut afflicto mederer, quum seiunctum interpunctione ab antecedentibus hunc versum ita conformassem: Quae censum trahat, hoc sterile ac male nobile lignum Turba sepulta mero circumvenit, desiderare in his coepi significationem et eius, cuius lacerare bona convivae dicuntur, qui debet esse dominus epuli, et caussae, cur mensa sterile ac male nobile lignum appellaretur, quae alia esse non potest, nisi quod insanum magno empta rem familiarem exhaurit.

V. 51. In hoc versu sanando quum quidlibet audendi potestas grammatico esse debeat — nam quod postremum eius verbum codices omnes habent, praedam alucinationem librarii oscitantis prae se fert — quum igitur ad supplendum hunc versum coniectura opus sit, cui codicum vestigiis insistere non liceat, ego Romam scriptum velim. Nam pridem, cuius caussam olim in commentatione p. 44. egi, nunc tam supervacaneum esse intelligo, ut correctum ex praedam non possit non iudicari; plebem vero, quod Burmanni commentum Buechelerus recepit, propterea improbo, quia et geminus ille gurges et fenoris illuvies ususque aeris ad universum pertinet populum. Adde, quod comparatio rei publicae cum nave apertior est, quam ut expressa, quam plebis verbum habet, significatio personarum admitti posse videatur.

V. 61—66. Alienos esse hos versus ab hoc poemate et forma et sententiis, argumentis certissimis in commentatione p. 9 seqq. docuisse mihi videor. Neque eo poterunt nomine a suspicione fraudis vindicari, ut Lucanianae de triumviris expositioni 1, 82—97 oppositi dicantur.

V. 69. Cocyta aqua insolentius sane dictum neque cum talibus aequandum, quale est Romula tellus, sed tamen quod codices maximopere commendent, et forma huius nominis, quae adiectivi verbalis est, admittere videatur.

V. 70. effusus ne orationem magis oneraret quam ornaret, poetam cum furit, non cum spargitur coniunxisse existimandum est. Itaque Buecheleri interpunctionem non potui quin reicerem.

V. 71. Recte interpretibus nonnullis offensioni fuit, quod auctumno tellus diceretur virere. Mihi praeterea ne aut quidem ferendum videtur, non praecedente cui respondeat altero aut, atque existimo pro eo neque scribendum fuisse. Iam vero quum poeta id agat, ut locum, qui sterilis et tristissimus aspectu meram mortem repraesentet, describat, clarum est eum hunc locum aptissime dicere et copiis auctumni et amoenitate veris carere. Atque in hanc quidem ut caespitem herbosum et virgulta avium cantu personantia exhibuit, ita illas eum arbitror pomis rubentibus significasse, in quibus restituendis literarum nec ductu nec sono nimis longe me a codicum scriptura recessisse omnes, spero, consentient.

V. 75. circum tumulata paene miror interpretes non protinus ad saxa retulisse in hanc sententiam: tumulorum instar saxa toto campo (id est enim circum) exsurgunt. Est autem tumulandi verbum singulari exemplo et propria sua vi positum, qua tumulum facere vel in tumulum extruere significare credendum est.

V. 76 sedes, quum minus apte dictum videatur de loco inhabitabili ac deserto, nescio an propter luctum, quo poeta hunc locum vestivit, in sordes mutandum sit.

V. 80. Genuinum hunc versum censeo — praetermissus est autem in codicibus haud paucis — non quod abesse non possit ab hac sententiarum complexione, aut quod non habeat quod iure reprehendatur, sed quia reddens illud Lucanianum summis negatum stare diu (Phars. I, 70) Petronii manum indicat. Is enim quo facilius carmen suum Pharsaliae oppositum cognosceretur, non solum in mutandis et corrigendis, sed etiam in retinendis atque imitandis Lucani sententiis versatus est. Cuius generis exempla compluria ex hac ipsa oratione Ditis petere licet, veluti quum nimium pondus Romae Petronius attribuit hoc versu: ecquid Romano sentis te pondere victam? 82. perspicuum est eum cum Lucano concinere sic illic de caussis belli civilis explicare pergente: nimioque graves sub pondere lapsus. Atque etiam quae insequuntur apud Lucanum: nec se Romae ferens, iis haec Petroniana: nec posse ulterius perituram extollere molem? 83., quamvis discrepent sententia, tamen videntur superstructa.

V. 92. Gemere fere ea dicuntur, quae onere imposito laborant, ut apud Virgil. Aen. VI, 413 cymba Charonis recepto Aenea. Id, puto, cogitans auctis Delbenius pro haustis scribendum coniecit, male memor versus 87., in quo aedificiorum in montibus extructorum iam factam invenimus significationem. Accedit, quod montium antra gementia nihil prorsus pertinent ad inferos, quorum sedes a Romanis luxuriam explentibus temptari Pluto queritur. Has autem sedes vehementer dubito num in proxima vicinia montium, qui potissimum habent antra, poetae placuerit hoc antrorum vocabulo nominare. Itaque claustra scripsi, viam monstrante et quod praecedentis versus mendum est austris, et quod h. l. unus exhibet codex anstra. Dictum autem volo claustra gemunt de moenibus vel parietibus orci excisione montium concussis ac rimas agentibus. Ceterum si quis graecam huic poetae vocem condonandam putet, ei bathra obtulerim, cuius quoddam interpretamentum sit antra.

Vanum lapidem oppositum arbitror saxis, quibus aedificabatur, quae saxa montibus haustis significantur. Tres enim fuisse res poeta dicit, cur Romani in viscera terrae ad orcum descenderent, ut fundamenta substructionum insanarum iacerent, ut saxa quadrata peterent, ut gemmas quaererent.

V. 93. Virgilius simili in re Aen. VIII, 246. manes facit immisso lumine trepidantes. Eum secutus Ovidius Metam. et II, 261 et V, 358 eundem lucis horrorem inferis tribuit,

ut miremur hoc commentum, quo manes penetralibus orci retectis quasi sui obliti coelum sperare dicuntur. Magis etiam fatendi verbum offenderit. Quid enim? quos intelligimus vi adactos esse ad inanem spem coelestis perfugii, hoscine non improbemus nihil acerbam suae spei necessitatem queri, sed aequum prae se ferentes animum ac paene laetum spem in coelo se habere pronuntiare? — Haec secum agitanti in mente iubentur, quamvis correctionem redoleat, tamen recipiendum videatur. Sed omnia sunt recte. Pluto enim, quum regna sua peti queritur, non modo hoc queritur, quod perfodienda terra compages orci rumpantur, manesque otio sedium suarum perturbato inquietentur, sed magis etiam, quod propter nascentem ex hac perturbatione spem coeli cum orco commutandi, ipsi metuendum sit, ne regno suo excidat. Quod autem coelum sperantes poeta manes introduxit, videtur doctiores aetatis suae homines risisse, qui spretis de orco opinionibus ad philosophos quosdam se applicantes (cf. Sen. epist. 79, 9) coelestem esse quae mortem insequeretur vitam statuerent. Certe eam hic versus habet sententiae conformationem, quae peculiare quoddam consilium scribentis arguat.

V. 95. Buechelerus mendo quodam Guelferb. cod. inductus sic scribendum coniecit: Romanasque acies nostris da funera regnis. At commoto qui Plutonis est animo magis contorta et acris convenit, quam tracta et fluens oratio. Atque etiam quod Fortuna v. 117—119 de caedibus mox futuris promittit, id eam statuendum est aptius promittere, universe ut caedes Romanorum efficeret rogatam, quam proprie ut totas morti daret legiones. Denique haec verba Romanosque cie quid valerent ne dubitari posset, praecautum est antecedentibus muta pacatum in proelia vultum: ita ut hic versus, quem codicum etiam memoria omnibus partibus sanum testificatur, nulla temptandus coniectura videatur.

V. 96. iam pridem perfundimus, praesenti suapte vi posito, ut in Graecis illis enuntiatis *πάρος οὔ τι θαμίζεις, πάλαι σκοπεύμαι,* similibus, quae explicans Kruegerus in gramm. Gr. vol. II, §. 53. adn. 1. non magis recte periphrasim quandam imperfecti narrat, quam h. l. Antonius praesens pro perfecto positum arbitratur. Ego sic explico: iam pridem non perfusi ora nunc non perfundimus, vel dudum est, quum ora non perfundimus.

V. 107. Romanis arcibus si quis contulerit cum eo, quod infra legitur v. 293:

Nescis tu, Magne, tueri
Romanas arces? Epidamnia nomina quaere,

de quo in comment. p. 39 disserui: haec igitur si quis inter se contulerit, hoc, opinor, loco arcium vocem non satis quadrare ad rem iudicabit. Accedit, quod plerique codices

artibus exhibentes id mendum prae se ferunt, quod num ex arcibus natum sit ambigi potest. Sed tollit omnem dubitationem Virgilii auctoritas, qui Romam dicens aliquoties Romanas arces nominavit, v. Ge. II, 172. Aen. IV, 234. X, 12. Quibus verbis qui Virgilium septem urbis colles significatos voluisse censuerunt, recte ea interpretati videntur.

V. 110. Cremare poetam scribere non potuisse, luce clarius; potuisse ciere ac paene debuisse, in comment. pag. 38 adn. 26 probasse mihi videor. Sed ciendi ex verbo quomodo factum sit cremare quum frustra quaeratur, hoc verbo monstrato nihil quidquam profecisse existimer. Itaque re denuo expensa nunc gregare proposui, a sententia, ut opinor, non minus quam a literarum similitudine commendatum. Ceterum in proximo versu est recte nunc iudico scriptum, quum olim in comment. l. c. et, quod valeat etiam, retinendum censuerim. Assentientem enim se Diti Fortuna iam supra v. 105 et 106 exhibuit, neque assensum illum iterare huius est loci, sed significare, qua calamitate illata Fortuna Romanos perditura sit. Id autem significans poeta quum Fortunam sanguine luxum pascere velle dicit, acerbissima usus ironia dicit Romanis has dandas fore luxuriae poenas, ut bellis civilibus implicati omni luxus materia subtracta vulneribus ac caedibus cupiditates suas explerent. Quam sententiam miror interpretes adeo latere potuisse, ut in alia omnia euntes de incrementis, quae luxus ex caesorum bonis capturus esset, dici putarent.

V. 111—115. Quinque horum versuum qui medius est: Iam fragor armorum trepidantes personat aures, eum suo loco positum neque alio quoquam transferendum iudico. Quemadmodum enim praecedentes duo versus ad illustranda ea et affirmanda, quae Fortuna de luxu caedibus pascendo promisit, compositos esse apparet, item ex hoc puto sequentes duo pendere, ita ut significatas armorum fragore pugnas ostendant, ubi terrarum futurae sint.

V. 114. Recte Buechelerus quod post cerno scribebatur et eiecit, viam ita aperiens, qua poetae manus investigaretur. Neque enim dubito, quin etiam alterum et subditicium sit, ortum ex interpretamento cum praepositionis, quam reposui. Dicit igitur Fortuna, se proelia et Africani et Alexandrini belli cernere. Alexandrinum autem bellum poeta significans, quae Nili claustra dicit, videtur Pharum insulam dicere, ad ea, quae in b. Alex. c. 26 legimus: „tota Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio velut claustris munita existimatur.“ Gementia vero contextus sententiarum docet idem valere, quod laborantia ab oppugnatione vel acriter oppugnata.

V. 115. Fuit, quum scriptum vellem: ad Apollinis arma tumentes. Sed neque

erat, quod in substantivo participii usu offenderem, et manifestum est poetam hos Virgilii versus expressos reddere:

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei. Aen VIII, 704—706.

V. 120. Vulnera mandere, ab Ovidio Metam. XV, 92 satis audacter in iis positum, qui carne vescuntur, multo etiam audacius hic poeta ad sorbitionem cruoris traduxit. Neque tamen id inepte. Est enim inexplebilis aviditatis morsu etiam invadere laniata caesorum corpora. Itaque valeat cum frigido suo lambe Cuperus.

Quod superest, moneo postremos sex hos versus ex iis esse, quibus poeta Lucani se agere censorem ac castigatorem apertius professus sit. Dicitur enim apud illum in Phars. III, 14—19 ita:

Vidi ipsa tenentes
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis.
Praeparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor: in multas laxantur Tartara poenas.
Vix operi cunctae dextra properante sorores
Sufficiunt: lassant rumpentes stamina Parcas.

Verba sunt Iuliae, Pompeio in Epirum profugienti secundum quietem visae et, quantae belli futurae sint strages, praedicentis. Eam praedictionem Petronio triplici, quod intelligam, temptare correctione libuit. Primum eam usus illo suo ministerio deorum (cf. c. 118. §. 6.) Fortunae attribuit, quo exemptae ex vanitate somniorum vim et potestatem divini consilii conciliavit; deinde pro insulsa, quae videri potest, in Parcis defetiscentibus hyperbola elegantissimam eandemque simplicissimam substituit hanc: „ad Stygios manes laceratus ducitur orbis;“ denique quod deesset rei ad summum horrorem adiciens, instigantibus in proelia Furiis Tisiphonen opposuit caesorum cruore se ingurgitantem. Servatis autem, quoad eius fieri potuit, verbis Lucani effecit, ut quis peteretur legentes continuo sentirent.

Schulnachrichten aus der Zeit von Ostern 1864 bis dahin 1865.

A. Chronik der Schule.

Beim Schlusse des vorigen Schuljahres hatte der Hülfslehrer Herr Urban nach einer zweijährigen treuen, tüchtigen und gesegneten Wirksamkeit, für die ihm der Dank der Schule folgte, uns verlassen, um in eine ordentliche Lehrstelle am Gymnasium zu Brieg überzugehen. An seine Stelle trat nach Ostern der Candidat des höhern Schulamts Herr Rudolf Julius Hermann Zopf aus Breslau, welcher im Jahre 1835 geboren das Magdalenen-Gymnasium in Breslau und dann das Gymnasium in Oels besucht, von 1853 bis 1857 in Breslau Philologie studiert hatte, dann als Hauslehrer in Westpreußen und zuletzt als Hülfslehrer am Elisabethanum in Breslau beschäftigt und zugleich Mitglied des Seminars für gelehrte Schulen gewesen war. — Da zugleich Herr Oberlehrer Dr. Mößler sich nach Ablauf des ihm bewilligten Urlaubs soweit hergestellt fühlte, daß er sein Schulamt wieder selbst übernehmen konnte, so schied zu Ostern der zu seiner Vertretung hierher berufene Hülfslehrer Herr Jonathas wieder aus. Das neue Schuljahr ward sodann am 5. April feierlich eröffnet.

Kurz darauf ward dem Gymnasium wiederum eine Schenkung in dem Ertrage von populär-wissenschaftlichen Vorlesungen zu Theil, welche während des vorangegangenen Winters in unsrer Stadt durch die Herren von Bernhardi, Oberlehrer Dr. Haacke, Dr. med. Hederich, Staatsanwalt Pfeil und Superintendent Werkenthin gehalten worden waren. Die gewonnene Summe (126 Thlr. 11 Sgr. 3 Pf.) ward zu der im vorhergehenden Jahre aus dem Ertrage eben solcher Vorlesungen gegründeten Stiftung eines Schulgeld-Stipendiums für einen einheimischen Schüler geschlagen. — Den hochgeehrten Herren, welche zu dieser erneuten Schenkung gütig mitgewirkt haben, erlaube ich mir hiermit nochmals öffentlich Namens des Gymnasiums den verbindlichsten Dank auszusprechen.

Die Abendmahlsfeier des Gymnasiums fand am 17. April und am 19. October statt; an den Tagen vorher hielten Herr Oberlehrer Dr. Mößler und Herr Conrector Krügermann die Vorbereitungsandacht.

Am 6. März 1865 (da der stiftungsmäßig dazu verordnete 5. März auf einen Sonntag fiel) wurden in herkömmlicher Weise Bücher-Prämien aus den Stiftungen von Brincke, Zacharias Klar und Finger vertheilt. Die Empfänger waren:

aus Prima Johannes Vetter aus Jenkau, Alois Taube aus Seidorf, Erdmann Tietze aus Friedeberg;
aus Secunda Max Krügermann, Emil Gäßner und Richard Neumann, sämmtlich von hier;
aus Tertia Adolf Kutzner und Heinrich Rosenthal von hier;
aus Quarta Friedrich John von hier, Hugo Seemann aus Warmbrunn, Richard Heinrich aus Breslau;
aus Quinta Oswald Buschmann, Gustav Schüttrich, Hugo Hänsel, sämmtlich von hier, Georg Klose aus Kupferberg;
aus Serta Albert Reichelt aus Schreiberhau, Carl Feigs von hier, Carl Fritzsch aus Warmbrunn.

Am 22. März ward der Geburtstag Sr. Majestät des Königs durch einen Rede- und Gesangactus gefeiert. Derselbe ward durch den von dem Gesangverein des Gymnasiums ausgeführten Gesang des 91. Psalms von Klein: Wer unter dem Schirm ꝛc. eröffnet, sodann folgten Vorträge von Schülern der obersten Classe, ein lateinischer von Johannes Vetter aus Jenkau de laudibus Friderici primi Borussorum regis, ein deutscher von Waldemar Adam aus Egelsdorf über Schiller's Wort: „Nichtswürdig ist die Nation, die nicht ihr Alles freudig setzt an ihre Ehre", ein poetischer von Wilhelm Gevers aus Görlitz: Deutsche Treue. Hierauf Gesang: Salvum fac regem von Löwe, und Festrede des Herrn Oberlehrer Dr. Erner. Endlich Schlußgesang: Vater, kröne du mit Segen.

B. Verordnungen der Behörden.

Unter dem 5. April 1864 macht das Königl. Provinzial-Schul-Collegium zur Belehrung betreffender Eltern oder Schüler darauf aufmerksam, daß nach neuerdings erlassenen Bestimmungen die Aufnahme von Zöglingen in die Königl. höhere Forstlehranstalt zu Neustadt-Eberswalde nur erfolgen darf, wenn der Angemeldete

1) das 25. Lebensjahr noch nicht überschritten hat,
2) das Zeugniß der Reife von einem preußischen Gymnasium oder von einer preuß. Realschule erster Classe erlangt und in diesem Zeugnisse eine unbedingt genügende Censur in der Mathematik erhalten hat,
3) das Zeugniß über das Bestehen der Forsteleven-Prüfung beibringt,
4) über tadellose sittliche Führung sich ausweist,
5) den Nachweis der zum Aufenthalte an der Anstalt erforderlichen Subsistenzmittel führt.

Durch Rescript vom 16. August wird angeordnet, daß die an die Schulcasse zu zahlenden Aufnahmegebühren für jeden neuen Schüler vom Michaelistermin d. J. ab drei Thaler betragen, weitere Inscriptionsgebühren an den Director nicht mehr gezahlt werden sollen.

